



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Suspensio à diuinis officijs non semper est peccatum, sed pœna peccati
vel alicuius vitij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

ius effectus sit causa futuri casus, & propterea significet illum. Quarta superstitio est observationum in verbis, aut rebus sacris portandis, dicendis, utendis, adiunctis aliquibus conditionibus non malis quarum ratio nescitur: ut patientes spasmodum nervorum, primo carino oblato Christi cruci in parasceue videntur pro remedio, confecto ex illo annulo: & sic de similibus. Quantum enim apparet, in huiusmodi superstitio interuenit: quoniam vanæ conditiones apparent. Si tamen ex mera deuotione fiunt, & non nisi à Deo intendant & expectent effectum putantes Deum inspirasse alicui sancto viro huiusmodi conditiones, non audeo damnare, sed tolerabile mihi videtur.

Suspensio à diuinis officijs non semper est peccatum, sed pœna peccati vel alicuius vitij.

Suspensio vna ex censuris Ecclesiasticis (qua homo à iure seu à iudice excluditur ab executione ordinis vel officii Ecclesiastici) pœna est, non culpa: incurritur tamen communiter propter culpam. Non oportet autem peccare mortaliter ad hoc ut incurratur suspensio, sed potest ex solo veniali peccato incurri suspensio. Quod ex eo patet, quod excommunicatio minor potest incurri ex solo veniali peccato. Constat autem excommunicationem minorem à maximis excludere scilicet susceptione sacramentorum omnium, quæ sunt maxima bona spiritualia & maximè necessaria ad humanam salutem, &c. Suspensio igitur ab executione ordinis vel beneficii, vel ab ingressu Ecclesiæ, vel à solennitate diuinorum, vel ab omnibus his & similibus excludens, non est tantæ malignitatis ut supponat vel

ferat secum peccatum mortale, sicut excommunicatio maior. Et potest suspensus absolui ab excommunicatione maiore & minore & à peccatis, & communionem sumere, & postea absolui à suspensione: quia suspensio non operatur nisi ad limites ipsius, hoc est, quasi si suspensio est ab ordine, non excludit nisi ab iis quæ sunt ordinis: si est à iurisdictione, non excludit nisi ab iis quæ sunt iurisdictionis, & sic de aliis, & propterea reliqua sunt licita. Casus autem quibus incurritur suspensio, multi valde sunt. Et quia solos clericos propriè tangunt, ipsi de seipsis loquantur.

*Iudicans leuiter & per suspensionem
peccare potest.*

Suspicio, qua ex leuibus iudiciis malam de proximo opinionem habemus, peccatum est: quia actus est voluntarius à recta ratione dissonans. Non enim ex leuibus moueri in animo nostro debemus contra nostros proximos. Est autem nonnulla iniuria, mala opinio absque rationabili causa. Et quoniam suspitio ambiguitatem quandam in seipsa claudit: ideo quandiu intra ambiguitatis latitudinem manet quantumcunq; crescat, nunquã est iudicium, quod definitiuam determinationem sonat: ac per hoc quantumcunq; suspitio sit temeraria & vehemens, & æstimatio firma, nunquam est peccatum mortale: quia non est iudicium temerarium, sed æstimatio temeraria: quia non interuenit tunc completè contemptus proximi, dum non prorumpitur in definitionem. Si enim proximum completè despiceret, prorumperet in definitiuam sententiam, & diceret in seipso, Ioannes in peruersæ mentis, & non diceret in seipso. Quantum mihi videtur. Ioannes est peruersæ mentis. Hoc enim est suspicantis, illud iudicantis. Vnde iudicium